SIMONIS PAVLI HILSCHERI

MEDICINAE DOCTORIS THEORETICES PROFESSORIS PVBLICI ORDINARII SERENISSIMIQVE DVCIS SAXO-GOTHANI ET ALTENBVRGENSIS CONSILIARII AVLICI

H. T.

FACVLTATIS MEDICAE DECANI

PROGRAMMA

FACIENS DECISIONEM DE QVAESTIONE:

AN IN VARIOLARVM MORBO ETIAM VISCERA INTERNA PVSTVLIS CONTAMINENTVR?

PVBLICAE INVITATIONI

AD

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

DE

EXOMPHALO INFLAMMATO EXVLCERATO ET POSTEA CONSOLIDATO

D. XXVI. APRILIS MDCCXXXVIII. HABENDAM

PRAEMISSVM

JENAE D. XX. APRILIS MDCCXXXVIII.

IENÆ, LITTERIS WERTHERIANIS.

EO in variolarum morbo naturæ ſcopus tendit, ut materia varioloſa viſcido-ſalina quidem ac acris, ſed indolis fermentativæ ac plane ſpecificæ, reliquæ maſſæ ſanguineæ valde infenſa reddita ex eadem probe ſeparetur, atque ad habitum corporis cutaceum propellatur, quo in puſtulas maturo pure turgidas mutetur ac coëat, tandem exiccandas & ſub cruſtarum forma deciduas.

Quo felicius igitur hujus materiæ varioloſæ omnis e ſanguinis gremio ad corporis limites fit propulſio & per hos excretio, eo citius non ſolum febris conjuncta ſynocha minus magisve putrida miteſcit, ſed & reliqua ſymptomata diſparent, brevique exiccatæ cruſtæ decidunt atque æger cum ſanitate redit in gratiam.

Verum enim vero quam frequenter natura vel in ſe debilior, vel ob materiæ varioloſæ maximam copiam, vel ipſius peſſimam indolem, nec ad ſecretionem & excretionem ſalutarem diſpoſitam hoc fine excidat, frequentia variolis defunctorum cadavera teſtantur. Atque hæc noſtram præſertim conſiderationem jam merentur, quatenus e varia & multiplici eorum facta apertione decidi poteſt quæſtio : *An in variolarum morbo etiam viſcera interna puſtulis contaminentur?*

Major vulgi portio in ea potiſſimum verſatur opinione, quod in varioloſis graviter decumbentibus, ſi non ſemper, admodum tamen frequenter plura, & in primis pulmones, ventriculus, inteſtina, lien, hepar aliaque tot fere conſpurcata ſint variolis, quot cutacea veſtis. Medici vero quidam penitus inficiari conantur, viſcera in variolarum morbo a puſtulis occupari, cum unum alterumve corpus humanum, ob hunc morbum mortem perpeſſum, ſecuerint, neque tamen viſcera variolis affecta ab iis fuerint reperta.

Noſtra celebrium medicorum avtopſia anatomica, aliaque experientia ſuffulta hac de re ſententia eſt, quod in graviſſime tantum variolis laborantibus, & his potiſſimum defunctis, aliquando hæc vel iſta viſcera puſtulis corripiantur; quidam ex hoc etiam morbo extrema experiantur fata, nullis licet eorum viſceribus ejusmodi exanthematibus ſcatentibus; contra vero & quorundam ægrotorum inteſtina hujus farinæ quisquiliis conſpurcentur, evadentibus nihilominus ex morbo hoc perquam moleſto iisdem. Pro hac ſtabilienda ſententia ſpeciales nunc aliquot clariſſimorum medicorum ſunt afferendæ obſervationes allegata phænomena confirmantes. Illuſtris Conſiliarius intimus Pruſſicus & medicus veteranus ac celeberrimus FRIDERICVS HOFMANNVS, *medicin. Conſultat. Tom. II. Dec. V. caſ. 3.* exhibet ſectiones comitis & nobilis variolis defunctorum, quorum viſcera atque inteſtina nullis variolis contaminata deprehenſa fuere. His ſatis pateſcit in variolarum morbo quosdam morte opprimi poſſe ac ſolere, ſalvis licet a puſtulis viſceribus internis. Alii vero perdocti medici in quorundam varioloſorum cadaveribus contrarium annotavere. Sic IO. FERNELIVS *de abditis rerum cauſis Lib. II. c. 12. p. m. 213.* ſcribit: Deprehenſum quosdam ab interitu diſſectos, quibus jecur, lien, pulmones, omniaque interiora haud ſecus atque cutis ſordidiſſimis papulis manantibus ſcaterent. CL. THEODORVS KERCKRINGIVS *Obſervat Anatom. LXII.* refert, puerum Amſtelodami variolis, quæ jam eruperant, laboraſſe, his vero retrocedentibus nec ad requiſitam maturitatem procedentibus omni expectatione citius ſuffocatum interiiſſe.

teriiſſe. Aperto ipſius corpuſculo invenit pulmones ita undique variolis intus & foris plenos, ut nihil prorſus in iis ſani conſpiceretur. Erant autem iſtæ variolæ in vigore ſuo, maturæ & pure turgentes, quæ etiam flavæ cujusdam aquæ tantillum in cavitatem pectoris infuderant: ut mirum non eſſet, tam miſere afflictum viſcus non ſufficere potuiſſe reſpirationis officio. Ubi deſcendit ad inferiora, lien non minus quam pulmo infectus, tumidus & durus deprehenſus: in inteſtinis tantummodo apparuere veſtigia variolarum, quaſi gemmis diſtincta, ſed hepar intactum & ſanum perſtitit. Apud THOMAM BARTHOLINVM *Hiſtor. Anatom. Cent. IV. hiſt. 43.* legere licet, infantem nuper natum variolis infectum interiiſſe cadavereque reſecto pancreas puſtulis plenum fuiſſe deprehenſum & thoracem aqua viridi repletum, quam e puſtulis exſtilaſſe credit auctor, cum iisdem etiam in variolis pulmones ſoleant infeſtari, unde ſuffocatio. Plures variorum auctorum obſervationes idem adſtruentes legere cupiens evolvat THEOPHILI BONETI SEPVLCHRETVM. Denique nos recordamur duorum infantium, qui graviter variolis confluentibus & cum his conjuncta diarrhœa laboravere, per quam facta jam variolarum exiccatione in cute una cum fecibus fluidis cruſtulæ ſeu ſqvamulæ non paucæ, quales variolæ exiccatæ dimittere ſolent, tum ab infantium matribus, tum deinceps a nobis diſtincte atque clare conſpectæ fuere, morbum utroque infante feliciter ſuperante, manifeſto indicio, ſuperficiem inteſtinorum internam puſtulis conſpurcatam fuiſſe. Qua occaſione non poſſumus non, quin adducamus ea, quæ de diarrhœa in variolis confluentibus infantium non temere cohibenda notatu digna habet CL. SYDEHAMIVS *Opp. med. edit. Genevenſ. in 8. p 173. ſeqq.* Proximo loco, ſcribit, cum in variolis confluentibus haud minus certo infantes diarrhœa comitetur, quam adultos *ptyalismus*, natura alterutram harum evacuationem materiæ morbificæ eliminandæ utique conſtituente, ut nec hic *ptyalismo*, ita neque iſtic *diarrhœa* frenum injicio; cum utrumque ex æquo ſit abſurdum: Male locata interim imprudentium aliquot muliercularum opera in ſiſtenda hujusmodi

diarrhœa, multa infantium millia letho dedit, dum falſo ſecum reputant, diarrhœam par in *hac* variolarum ſpecie atque in *diſtincta* diſcrimen apportare; neſciæ ſcilicet illi tantum officere diarrhœam ubi per puſtulas (puta unice) fit evacuatio, hic vero naturæ opus illam eſſe, morbo effugium quærentis. Atque ad hocce Sydenhamii monitum attendentes diorrhœam nec in ſupra commemoratis nec aliis infantibus, hac variolarum ſpecie afflictis, improvide ſuppreſſimus, ſed aliquando tantum alvi profluvium nimis vehemens ac debilitans nonnihil moderati ſumus cum ſecundo ſæpiſſime morbi eventu.

Poſſent adhuc plura pro datæ deciſionis illuſtratione in medium proferri, quæ vero rerum medicarum gnarus meditando facile aſſequi poterit: quare absque ulteriori proluſione ad recenſionem hiſtoriæ vitæ ac ſtudiorum clariſſimi & digniſſimi medicinæ Doctorandi,

SAMVELIS FRIDERICI CREILINGII,

nos convertimus.

Patria ipſi eſt Tubinga, clariſſimum iſtud bonarum literarum ac artium ad Nicrum emporium, progenitus ibi d. 25. Auguſti 1714. parentibus inclytis, patre viro excellentiſſimo & experientiſſimo IOANNE CONRADO CREILINGIO, Phyſices experimentalis & mathematum Profeſſore publ. ordinario celeberrimo, matre ROSINA SVSANNA, e celebri Bohemiorum gente prognata, matrona omnes ſexus ſui virtutes complexa atque illuſtres viros LAVTERBACHIVM & LANSIVM inter majores ſuos numerante. Puer & adoleſcens a privatis bonarum artium magiſtris ſaluberrima religionis Chriſtianæ dogmata, nec non linguarum Latinæ ac Græcæ rudimenta & denique cultum feliciter didicit, & ſub eorum ductu adeo laudabiles in literis fecit progreſſus, ut anno 1726. a Magnifico t. t. Academiæ Tubingenſis Rectore & Juris Profeſſore DN. D. MAIERO in numerum ſtudioſorum academicorum reciperetur. Ab eo tempore ſcholas privatas Philoſophicas excellentiſſimorum Profeſſorum frequentare cœpit; cumque animus ipſius ad medicinam præparandus eſſet, venerandi præſertim parentis lectiones ac demonſtrationes Phyſicas experimentales, Chemicas & Mathematicas ſedulus auſcultavit

tavit ac vidit, doctrinaſque inde hauſtas ad medicinam cum fructu applicare omnem navavit operam. Hanc etiam intimius addiſcendi & cognoſcendi cauſa a cunctorum celeberrimorum ac excellentiſſimorum Facultatis Medicæ Tubingenſis Profeſſorum ore per aliquot annos pependit, ſiquidem ſectatus eſt b. DN. D. CAMERARIVM in prælectionibus Botanicis & Pathologico-practicis; DN. D. MAVCHARTVM, inſigne Tubingenſis Academiæ ornamentum, in ſectionibus, demonſtrationibus ac recitationibus Anatomicis, Chirurgicis, ad inſtitutiones b. Mœbii, materiam medicam, methodum præſcribendi formulas & commentarios Jo. Mauritii Hofmanni ad praxin chymiatricam Hartmanni, denique DN. D. HOFMANNVM, tunc temporis medicinæ Profeſſorem extraordinarium, cognatum ſuum maxime venerandum, phyſiologiam & plura alia ad ſtudium medicum facientia explicantem, collegiumque caſuale prælegentem.

Tot exercitamentis Philoſophicis pariter atque medicis in his ſtudiis optimos conſecutus profectus nihilominus animum cepit ad exteros iter facere, majora ſtudiis ſuis additurus incrementa diſcurſibus cum expertiſſimis variarum provinciarum medicis habendis, & rarioribus naturæ artisque productis explorandis. Triennio igitur abhinc elapſo Viennam Auſtriæ ſe contulit, multaque gratia virorum illuſtrium, & in primis Archiatrorum Cæſareorum gaviſus in Stiriam quoque & majorem Hungariæ partem excurrit, inde per Bohemiam ad hujus metropolin; Pragam, conceſſit, atque ex hac urbe iter in Saxoniam utramque direxit celebrioresque harum provinciarum urbes Academiasque ſalutavit, in primis Dreſdam, Brunſvigam, Gvelferbytum, Magdeburgum, Helmſtadium, Halam, Lipſiam, converſatus vbique cum medicis primariis.

Tandem noſtræ academiæ celebritate allectus & per aliquod temporis ſpatium hic commoratus illuſtrem Conſiliarium aulicum & Profeſſorem DN. D. WEDELIVM, Facultatis noſtræ Seniorem venerabilem, praxin medicam ſolide docentem, illuſtrem vero Conſiliarium aulicum & Profeſſorem

DN.

DN. D. TEICHMEYERVM, medicinam legalem & ſtructuram corporis humani eleganter exponentem ac demonſtrantem, & publice ſectionem cadaveris maſculini artificioſe perficientem, attente auſcultavit & vidit.

Maturatis ita probe ſtudiis Academicis iisdem colophonem imponere decrevit & Licentiam pro conſequendo Doctoris gradu, tanquam condignum induſtriæ ac laborum præmium, a Facultate noſtra decenter petiit.

Receptus igitur ante aliquot menſes inter medicinæ Candidatos & ad conſueta examina admiſſus perbelle in iis ſtetit, atque ideo facile obtinuit licentiam *Diſſertationem inauguralem de* EXOMPHALO INFLAMMATO, EXVLCERATO ET POSTEA CONSOLIDATO ſub præſidio TEICHMEYERIANO D. XXVI. currentis menſis Aprilis habendi & contra opponentium tela defendendi.

Quem actum ut magnificus Prorector, illuſtriſſimi S. R. I. Comites, Patres academiæ venerandi, Hoſpites omnium ordinum honoratiſſimi egregiaque generoſorum & nobilisſimorum Commilitonum concio præſentia ſua ſolennem reddere velint, eſt, quod peroſſicioſe & decenter peto. P. P. ſub ſigillo Facultatis d. XX. Aprilis MDCCXXXVIII.

L. S.